



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 1176. Usque Ad Annum 1203

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1763

VD18 90118022

§. 44. Guilielmi Archiepiscopi Remensis obitus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66394](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66394)

§. XLIV.

Sæcul. XIII.

A. C. 1202.

*Guilielmi Archiepiscopi Remensis
obitus.*

Sed his Archiepiscopus haud plus duobus mensibus superstes fuit. Nam cum Laudunum venisset, apoplexia subito ictus, nulla amplius voce edita, nulloque condito Testamento, die septima Septembris, eodem anno millesimo ducentesimo secundo, Pontificatus sui vigesimo sexto, exanimatur. Eum primis post susceptum Episcopatum annis modestia commendabat, sed exinde cupiditas oblata sibi dona cumulandi, & luxus antea actæ vitæ famam corruperunt. Guilielmo mortuo Sedes Remensis annos duos tum ob Canonicorum Cathedralium dissensionem, tum ob Præsulatum ambientium machinationes vacavit. Quibusdam Philippum Drocensem Episcopum Belvacensem eligentibus Theobaldus Perchiæ, Archidiaconus Remensis, objecit; hujus viri vitam militis & incendiarii quam Sacerdotis esse similitudinem. Nempe ille est, quem armatum & dimicantem ab Anglis captum fuisse anno millesimo centesimo nonagesimo sexto memoravimus.

*Chro. Antis.
an. 1202.**Alberic. eod.**Marlot. III.**c. 17.**Chro. Laud.**ap. Gall.**Chro. p. 520.**Ep. Inn. III.**ibid. & Ital.**Sac. to. I.**p. 232.*

Re ad Innocentium Papam delata, is postulatione Episcopi Belvacensis rejecta, *Sup. Lib. LXXIV.*

Ss 4

Capi. §. 60.

Sæcul. XIII.
A.C. 1202.

Capitulo Remensi alium eligendi potestatem fecit, dicens, magna indulgentia se hos Canonicos habere, quod, cum jure suo abusi essent, id ad hunc actum omnino amisissent. Ergo Canonicis Remensibus præcepit; intra mensem Archiepiscopum eligerent. Si mandata exequi neglexissent, Episcopo Antisiodorensi, Abbati Perseusiacensi, & cuidam Canonico Noviomensi commisit; ipsi huic Ecclesiæ Archiepiscopum darent, & suis Suffraganeis consecrari curarent. Canonici Remenses, acceptis Papæ mandatis, congregati, rursus in partes abierunt, his Balduino Præposito, aliis magno Archidiacono Perchiensi suffragantibus, & quia Papæ Mandatariis subjici recusabant, iterum Romam itum, & Actio nova mota, Ecclesia Remensi interim Pastore destituta.

§. XLV.

Hæretici in Urbe Charitate.

Sup. n. 7.

Innoc. lib. 5.
epist. 35.

Nec dum extirpari potuerant Hæretici in Diocesi Antisiodorensi, etsi Concilium Senonense anno millesimo centesimo nonagesimo octavo in eos severissime inquisivisset. Quidam cives ex urbe Charitate, ab Episcopo, quod in eos Hæresis suspicio caderet, excommunicati, Petrum Capuanum Legatum adierunt, qui cum jurejurando sponderent, quod